

actus charitatis, qui proxime et intrinsece ad bonitatem Dei absolutam terminatur.

Inst. Bonitas Dei non facit nos aut proximum bonum; ergo non potest esse ratio sufficiens nos aut proximum amandi, cum nihil diligatur nisi bonum.

R. N. Cons. Licet enim bonitas Dei non faciat proximum *formaliter* ac *intrinsece* bonum, dicit tamen quamdam ad illum habitudinem, ut ipse actu vel potentia consors est naturæ divinæ ac beatitudinis; atque secundum hanc habitudinem charitas theologica invenit in bonitate Dei rationem sufficientem amandi proximum, quamvis ille nullam in se bonitatem, sed maximam potius malitiam habeat, ut in peccatoribus accidit.

Ad Rat. D. Nihil diligitur ut finis vel medium ad finem, nisi bonum *C.* nihil diligitur ut amicus *subd.* si diligitur ut amicus primarius *C.* ut amicus secundarius *N.* Qui ut amicus *primarius* diligitur, ut per charitatem diligitur Deus, non potest propter alienam bonitatem diligi; cum sicut bonitas proprium subjectum facit primario bonum, ita et primario amabile: qui vero ut amicus *secundarius* diligitur, ut per charitatem diligitur proximus, non habet necesse, ut sit bonus *in se*, sed sufficit quod ita terminet habitudinem bonitatis alienæ, quæ propria est amico primario, ut eam vel actu participet, vel participare possit; quæ ratio amici secundarii stat in eo, quod ametur ut conjunctus vel conjungibilis cum amico primario per participationem bonorum primario amico priorum.

289. *Obj. cont. 2^{um}.* Objectum formale charitatis est ipse Deus ut summum ac perfectissimum bonum, et juxta *D. Tu.* ut objectum visionis beatificæ dicit cumulum omnium perfectionum; ergo. *Conf.* Omnis actus charitatis est actus perfectissimus; ergo debet procedere ex motivo perfectissimo: sed motivum perfectissimum sunt perfectiones Dei *simul* sumptæ; ergo.

R. Ad Arg. quoad 1^{um}. D. M. Objectum formale charitatis quoad habitum *C.* quoad actum *subd.* est ipse Deus et summum ac perfectissimum bonum formaliter in omni genere boni et perfectionis *N.* saltem formaliter in aliquo perfectionis et bonitatis genere *C.* Habitus charitatis infusus habet se per modum *potentiæ*, adeoque debet se extendere ad omnem perfectionem, propter quam Deus potest diligi: actus autem charitatis dependet a libera determinatione voluntatis in eligendo ac præfigendo sibi motivo ad amorem Dei propter se super omnia sufficiente, quod, ex dictis, potest esse quælibet perfectio divina formaliter in uno tantum genere infinita. Quoad *2^{um}. D. M.* Objectum charitatis est Deus ut objectum visionis beatificæ hoc sensu, quod omnes perfectiones, quæ sunt objectum visionis, per actum charitatis quævis attingantur *N.* hoc sensu, quod omnis illa perfectio, quæ videtur, possit esse objectum formale, et singulæ sufficienter movere possint ad amandum Deum super omnia *C.* *Disparitas* inter visionem intuitivam et cognitionem abstractivam charitati prælucentem aliunde nota ostendit, fieri non posse adæquatam comparationem inter utriusque objectum.

Ad Conf. R. D. M. Est actus perfectissimus ex suo genere et modo tendendi generico *C.* in suo genere et sua specie *N.* Quatenus quilibet actus charitatis diligit Deum propter se seu bonitatem absolutam sine respectu ad propriam amantis cupiditatem, et super omnia ac referendo ipsum etiam

amantem ad Deum, habet genus ac modum tendendi perfectissimum: inter actus tamen sic ex suo genere perfectissimos sicut alius alio intensive est perfectior, ita etiam potest esse perfectior extensive, quatenus scilicet ad plures vel pauciores perfectiones Dei unus præ altero extenditur.

CAPUT II.

DE NECESSITATE CHARITATIS.

ARTICULUS I.

AN OMNIS ACTUS HUMANUS, NE PECCATUM SIT, DEBEAT ESSE EX CHARITATE ELICITUS?

290. *Nota I.* Inter charitatem et vitiosam cupiditatem non dari *medium*, ideoque actum a charitate non elicitum oriri ex prava cupiditate, præter Lutherum et Calvinum statuunt *Baius*, cujus hæc est propositio inter illas a Pio V., Greg. XIII. et Urbano VIII. damnatas 38.: *Omnis amor creature rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, qua a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur; Jansenius* qui L. 5. de Gr. Chr. c. 6., ubi rationem universalem ex principiis S. Augustini reddere conatur, cur omnes virtutes quidam sint affectus dilectionis Dei, ita inquit: *Non agnoscit sanctissimus Doctor in universis operibus suis nisi duos amores Creatoris et creature, ex quorum alterutro necesse est, ut quæcumque actio voluntatis oriatur: ille charitas est, iste cupiditas; quarum illa de cælo est Deo plantante, ista ex mundo diabolo seminante; quocum consonat Jansenianorum propositio inter 31. ab Alex. VIII. damnatas 7.: Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est; Quesnellus* cujus propositio 44. inter centum et unam a Clem. XI. damnatas ita enuntiat: *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones et actiones omnes nostræ nascuntur: amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; et amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est non refert, et propter hoc ipsum fit malus.*

291. *Nota II.* Circa principium hoc a *Novatoribus* statutum movetur quæstio prima juris, an nempe verum sit; et altera facti, in quonam sensu illud fuerit ab istis assertum. Ratione *prioris* observandum est, charitatem non tantum accipi stricte et proprie ac pro amore Dei benevolo et mere gratuito hactenus a nobis exposito, sed maxime a S. Aug. etiam frequenter usurpari minus stricte ac minus proprie, pro amore quocumque recto, bona voluntate vel amore boni; ut patet ex *Comment.* in Psal. 9. n. 13. ad illa

verba, *Comprehensus est pes eorum: Pes animæ recte intelligitur amor: qui cum pravus est, vocatur cupiditas aut libido; cum autem rectus, dilectio vel charitas: ex L. de Gr. Chr., ubi postquam c. 21. dixisset: Quasi verò aliud sit bona voluntas quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo et a Patre datam; deinde c. 24. declarat Assueri conversionem ab indignatione in lenitatem fuisse bonam voluntatem a Deo profectam, nullo tamen modo charitatem proprie dictam, seu animi affectionem, qua quis se a Deo regi cupiat, suamque voluntatem ex ejus voluntate suspendat, et ei jugiter adherendo unus cum illo spiritus fiat; et L. 8. de Trinit. c. 10. Quid est autem dilectio vel charitas, quam tantopere Scriptura divina laudat et prædicat, nisi amor boni? Ratione posterioris advertendum est, charitatem proprie dictam et theologiam aliam esse imperfectam, aliam perfectam; quarum illa Deum quidem propter se et sic benevole ac mere gratuito, non tamen super omnia diligit, ideoque voluntatem non penitus a peccato avertit, neque per se sufficiens est dispositio ad justificationem; ista vero Deum et propter se et super omnia diligit, adeoque et opposite ad priorem imperfectam, et ob rationem sufficientis ad justificationem extra sacramentum dispositionis satis perfecta est. Præterea charitas stricte dicta non minus a Scriptura et Patribus usurpatur proprie pro actu sive justificationem præveniente sive consequente, quam pro habitu, qui vel ipsa gratia sanctificans est, vel saltem inseparabiliter conjuncta cum hujusmodi dono.*

292. Dico I. Amor Dei, ex quo necessario ortum volunt Novatores omnem actum humanum, ne peccaminosus sit, secundum Jansenium videtur quidem intelligi charitas proprie dicta, non tamen perfecta; secundum Baium perfecta sed non habitualis; secundum Quesnellum autem perfecta simul et habitualis vel dominans et plene justificans.

Prob. 1^a. p. Quoad 1^{um}. Jansenius charitatem, quæ pro objecto habet Deum propter se dilectum, L. 5. de Gr. Chr. c. 3. 4. 5. 6. et 9. statuit esse radicem virtutum cardinalium, religionis et theologiarum, imo harum virtutum actus formaliter esse actus charitatis, et virtutem nihil aliud quam Dei amorem esse decernit: Quoad 2^{um}. Idem ibid. c. 7. et 8. probandum assumit, dilectionem illam, ex qua fides et spes nascitur, esse imperfectam: Sed ne quis in hac doctrina fallatur, sciendum est, non semper ita sumi ab Augustino charitatem, quemadmodum hoc tempore passim et fere semper in scholis usurpari solet. Nunc enim per charitatem nihil aliud intelligimus, quam virtutem illam dilectionis in tam perfecto gradu, ut super omnia diligatur Deus; quo sane sensu certum est, ex mente Augustini fidem et spem non supponere charitatem, ex qua nascantur; sed e contrario fidem et spem charitati isti perfectæ, sicut et remissioni peccatorum, viam sternere.... Augustinus igitur charitatem accipere plerumque solet pro dilectione, qua vere, sincere et gratis ex animo propter seipsum, nullius creaturæ, sed ipsius solius intuitu, diligitur Deus; sive ad illam pertingat perfectionem, ut supra omnia creata diligatur, sive in simplici et inferiori affectu hæc hæreat. Talis igitur amor Dei, nisi voluntatem hominis ad credendum flectat, non erit fides christiana.... De tali imperfecto charitatis seu dilectionis actu, qui non sufficiat, ut justificetur homo, quia nondum supra omnia diligitur Deus, loquitur Augustinus diversis in locis etc. Similia jam præ-

miserat L. 3. de Statu naturæ lapsæ c. 19. rursus sub initium cap., quo statuit non dari medium inter charitatem et culpabilem cupiditatem.

Prob. 2^a. p. Quoad 1^{um}. tum ex perspicuis verbis propp. 31. 70. 74. ubi charitatis perfectæ mentio fit: tum ex datis charitati attributis, qualia habentur propp. 16. et 32., ubi charitas veræ legis obedientia et plenitudo legis vocatur: tum ex effectu, quia operibus ex charitate factis propp. 42. 43. 44. et 69. formaliter tribuitur justificatio. Quoad 2^{um}. patet 4^o. quia Baius in opuseulo de charitate unde propositio 38. et aliæ de charitate excerptæ sunt, diserte rejicit habitum charitatis et habituales atque accidentales qualitates, testaturque a se charitatis nomine intelligi duntaxat cum Aug. animi motum ad fruendum Deo propter seipsum ac proximo propter Deum. 2^o. Quia idem protestatur in sua apologia ad Prum V. data, se de solo charitatis actu esse locutum. 3^o. Quia ipsa propositionis 38. verba amorem potius actualem quam habituales significant, cum habeatur: qua mundus diligitur, vel qua Deus amatur. 4^o. Quia in prop. 31. sermo est de charitate, quæ est ex corde puro; prop. 33. per quam catechumenus juste, recte et sancte vivit, mandata Dei observat, ac legem implet; quæ rursus actum designant, præsertim cum juxta prop. 42. justitia, qua justificatur per fidem impius, consistat formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia; non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, et secundum interiorem hominem renovatur, ac divinæ consors naturæ efficitur; ut sic per Spiritum sanctum renovatus deinceps bene vivere, et Dei mandatis obedire possit; cui propp. 62. 63. et 69. addere licet.

Prob. 3^a. p. quoad 1^{um}. Tum quia propositio loquitur de amore, qui omnia, nullo excepto, agit propter Deum; sive ut prop. 47. habet, propter Dei gloriam, excluso omni amore, quo nos ipsos ac mundum diligimus; adeoque de amore benevolo super omnia, seu qui Deum omnibus præfert: tum quia Quesnellus ad præceptum charitatis Matth. 22. 27. hanc observationem subjungit: Nullæ cogitationes aut consilia in intellectu; nulla desideria aut motus in voluntate; nullæ actiones aut negotia in vita, quæ non debeant habere pro principio amorem Dei et pro fine ejus gloriam; cui similem ad 1. Cor. 16. 14. explicationem adnectit: tum quia ad ep. ad Coloss. 3. 14. sic observat: Sola charitas facit actiones christiano modo per relationem ad Deum et Jesum Christum, uniendo et conformando nos Capiti nostro ut vera membra... Charitas solum vinculum perfectum est, quod cor quietat Deoque affigit. Quæ et alia similia, unde et propositiones de charitate ejusque effectu scilicet justificatione desumptæ sunt, ostendunt sermonem esse de charitate perfecta.

Quoad 2^{um}. prob. 1^o. de charitate habituali. Omnis actio, ut bona sit, debet procedere ex amore Dei, juxta prop. 44.: omnis amor Dei bonus prærequirit gratiam juxta prop. 40. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem: omnis gratia prærequisita vel formaliter præstat vel supponit remissionem peccatorum juxta prop. 28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est remissio peccatorum: omnis peccatorum remissio in præsentia providentiæ fit per justitiam et charitatem habituales, ut ex Trid. Sess. 6. cap. 7. constat; ergo juxta Quesnellum omnis actio, ut bona sit, debet procedere ex charitate habituali.

Prob. 2^o. De charitate dominante, tum ex sensu prop. 44.; quia amor Dei, qui omnia agit propter Deum, est amor formaliter dominans: tum ex verbis

prop. 45. *Amore Dei in corde peccatoris non regnante, necesse est ut in eo regnet carnalis cupiditas, omnesque ejus actiones corrumpat*: tum ex ejus observationibus ad Matth. 12. et 30. et ad Luc. 10. 27.; ubi in priori notat: *Oportet ut nobis dominetur charitas vel cupiditas*, in posteriori: *Nisi amor Dei dominetur ut principium et motivum in usu etc., desumus huic præcepto*. Denique

Prob. 3^o. de charitate plene justificante. Plene justificat, quod excludit peccatum mortale, habet rationem justificandi, et vim merendi de condigno: sed hæc omnia juxta Quesnellum conveniunt omni charitati simpliciter dictæ; quia 1^o. in observatione ad 1. Joan. 3. 9. dogmaticè sic pronuntiat: *Charitas nullum patitur secum peccatum mortale*. 2^o. Quia prop. 51. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur nisi per charitatem*, æquivalet huic: fides justificat, quandocumque operatur per charitatem; ubi et ratio justificandi tribuitur charitati, et quælibet charitas simpliciter dicta intelligitur, cum certum sit fidem operari per charitatem simpliciter dictam. 3^o. Quia in prop. 44. exigitur amor Dei, quem Deus remuneratur; in sequentibus autem soli charitati corona et remuneratio tribuitur, quales sunt prop. 53. *Deus non coronat nisi charitatem*; prop. 56. *Deus non remunerat nisi charitatem etc.*

Conf. Propositionem Quesnelli de charitate habituali aut dominante aut justificante intelligendam esse, tradunt 1^o. EPISCOPI GALLICANI tum in Instructione Pastoralis an. 1714., tum in explicationibus supra Constit. *Unigenitus*, an. 1720. communi nomine editis, ubi docent, Quesnello non esse veram charitatem nisi habitualement aut dominantem. 2^o. Auctores anonymi opusculorum, quorum primum anno 1714. sub titulo: *Venenum 401. propositionum*, alterum an. 1718. Bruxellis cum-epigraphe: *401. propositiones singulatim qualificatae*, tertium 1724. Gandavi sic inscriptum: *Veritas et æquitas Constitutionis Unigenitus theologice demonstrata*, prodierunt: hi, inquam, intelligunt Novatoris axioma de amore perfecto et dominante. 3^o. P. Paulus de Lugduno Capuc. in Antihexaplis seu analysi 401. propp. ad prop. 44. ostendit, eandem loqui de charitate vera, et proprie dicta, quam Jansenius amorem Dei dominantem appellat. 4^o. Demum idem uberrime probavit P. Jacobus Fontaine S. J. in *Constitutione Unigenitus theologice propugnata* an. 1719. Romæ impressa, ubi tum per tres quæstiones speciatim propositas demonstravit, assertam hic loci a Quesnello fuisse charitatem justificantem seu cum justificatione infallibiliter connexam, dominantem et habitualement; tum in appendice, propositionibus de charitate post prop. 59. adjecta, confutavit protestationem, qua Quesnellus admissam a se charitatem imperfectam et non justificantem contendebat.

293. *Dico II.* Ne actus humanus sit peccaminosus, non requiritur ut procedat ex charitate proprie dicta quamvis imperfecta, multo autem minus ex perfecta sive actuali sive habituali.

Prob. 1^a. p. Datur actus humanus moraliter bonus, qui non oriatur ex gratia, ex Tr. de Gr. et datur actus supernaturaliter bonus, qui sit tantum spei aut timoris, ex supra dictis; ergo non omnis actus est peccaminosus, qui ex charitate non oritur; ergo ne sit peccaminosus, ex charitate necessario procedere non debet.

Conf. 1. Damna est ab ALEX. VIII. prop. 7. ex Joan. Sinnichii, Macarii

Havermans et nonnullorum Lovaniensium Jansenii sectatorum thesibus excerpta; ergo inter cupiditatem et charitatem imperfectam in sensu Jansenii datur medium, nec omnis actio, quæ ne quidem est charitas imperfecta aut exinde orta, est peccatum.

Conf. 2. Ex sententia Jansenii sequitur primo, in magnis peccatoribus, ubi deficit omnis amor, etiam deficere fidem supernaturalem, cum desit bonitatis et supernaturalitatis principium, nempe charitas saltem imperfecta: secundo, peccatum esse, quidquid non est ex fide christiana supernaturali et per charitatem operante: tertio, necesse esse fidelem in omni opere peccare: sed hæc sequelæ non tantum damnatæ fuerunt in propp. 8. 11. et 12. ab Alex. VIII., sed et repugnant Scripturæ, Patribus et Rationi; ergo.

Prob. 2^a. p. Datur amor Dei naturalis, ex Tr. de Gr. datur amor concupiscentiæ supernaturalis; datur denique charitas inchoata et imperfecta, et hi omnes actus sunt honesti ac liciti; ergo non omnem actionem humanam, ne peccaminosa sit, ex charitate perfecta actuali procedere est necesse.

Conf. 1. Damna a tribus Pontificibus præter prop. 38. plura ejus consectoria: primo, vanam esse distinctionem amoris Dei in naturalem et supernaturalem; ut ex prop. 35., item operis boni in meritorium et non meritorium, ut ex propp. 62. et 63. constat: secundo, nullum esse opus moraliter bonum etiam naturale solis naturæ viribus possibile, ut in propp. 28. 29. 30. 31. 37. et 66. assertitur: tertio, omnia opera infidelium esse peccata, et virtutes Philosophorum vitia; ut prop. 28. enuntiat: quarto, Deum posse suis præceptis ad impossibilia obligare, ut in prop. 53. docetur.

Conf. 2. Principium Baianum est sureulus Lutherani et Calviniani erroris a TRIB. damnati, et radix Quietismi ab INNOC. XII. proscripti, cujus hanc etiam propositionem ex Cameracensi extractam recenset in suo Quietismo redivivo Bossuetius: *Quidquid non provenit ex principio charitatis, ut S. Augustinus docet, ex cupiditate provenit*; ergo.

Prob. 3^a. p. Datur amor bene ordinatus tum Dei ut auctoris naturæ, tum sui et proximi ex solius naturæ viribus possibilis, ut ex serm. 52. de temp. (al. 349. c. 2.) S. AUG., et ex 2. 2. q. 49. a. 6. D. TH. constat: dantur virtutes morales, maxime cardinales, supernaturales ex Tr. de Justif.: dantur plures præter charitatem virtutes theologice, ex supra dictis: sed hæc omnia mediant inter charitatem habitualement et concupiscentiam; ergo.

Conf. 1. Ab ipso Jansenio L. 4. de Stat. nat. laps. c. 27. falsum et Augustino contrarium declaratur assertum de nullo medio actu inter charitatem perfectam habitualement et justificantem, ac inter vitiosam cupiditatem: damnatum est a CLEM. XI. oppositum, tam quoad se in prop. 44., tam quoad consectoria in propp. seq.: damnatum denique est a TRIB. Sess. 6. cap. 6. et can. 7. definiente, opera bona, ante justificationem et hinc absque charitate habituali dominanti vel justificante facta, non esse peccata.

Conf. 2. Tum ex Tr. de Gr., tum ex eo quod ex Quesnelliano dogmate consequatur universæ religionis interitus. Nam si omnis actio et volitio aliunde exorta, quam a charitate habituali et justificante, est peccaminosus; ergo primus actus fidei, utpote qui in adultis præcedere charitatis actum debet, adeoque ex ea nasci nequit, erit malus; item malus erit credulitatis affectus, malum erit voluntatis imperium, quæ fidei præeunt; ergo fides charitati prævia nequit esse theologica; ergo nec humanæ salutis initium,

fundamentum et radix omnis justificationis esse potest, ut tamen TRIV. definit; ergo hoc fundamento ruente, non tantum ruit charitas, sed etiam succiditur spes christiana, interit timor salutis, abolentur sacramenta, Ecclesiae compago laxatur, et totum, quantum est, virtutum ac religionis aedificium dissipatur.

294. *Obj. cont. 1^{um}. I. Jansenii liber, cui titulus est: Augustinus*, ab URBAN. VIII. Bulla, *In Eminentis*, proscriptus est tanquam continens ac renovans Baianas propositiones: *Quesnellus* vero utpote Jansenio penitus devotus, eadem cum illo principia sicut in reliquis omnibus, ita in praesenti materia certo videtur secutus; ergo si Baius et Quesnellus dicuntur requisivisse pro actionum principio charitatem perfectam, idem dicendum est de Jansenio. *Conf.* Etiam *Jansenius* exigit, ut omnia agantur propter Deum, et charitas in nobis dominetur; ergo si ex iisdem causis Quesnellus censetur requirere charitatem perfectam, hoc ipsum de Jansenio statuere oportet.

R. N. A. et Cons. Quoad priorem antec. partem, vera quidem est assertio, falsa autem illatio, cum nec URBANUS edixerit, quasnam Baii propositiones Jansenius renovarit, nec INNOC. X. quinque famosas propositiones postea damnans de renovatione propositionis 38. Baianae intelligi queat. De posteriore autem parte falsitas patet tum ex manifesto Jansenii dogmate superius allato, tum ex testimonio Auctorum inter quos P. Fontaine ostendit discrimen inter Quesnellum ac Jansenium, et hujus sententiam de charitate probat esse mitiorem.

Ad Conf. D. A. Etiam Jansenius exigit charitatem imperfectam dominantem et omnium radicem C. perfectam N. Praeterea non ex his duntaxat praedicatis sed et ex aliis in probatione prolatis et additis ostendimus a Quesnello charitatem perfectam fuisse admissam.

295. *Obj. II. Baius* loquitur de charitate, prout illa tum temporis usurpatur in scholis, et ab Apostolo dicitur per Spiritum sanctum diffusa in cordibus nostris: sed charitas sic usurpata est habitualis; ergo. *Conf.* Charitas, quae justificat et sanctificat hominem, facitque opus ex illa procedens meritorium vitae aeternae, est habitualis: sed *Baius* loquitur in suis propositionibus damnatis de charitate justificante et praestante meritum vitae aeternae; ergo.

R. N. m. Observavimus jam supra, charitatem non minus proprie pro actu ac pro habitu usurpari. Quamvis vero Apostolus, dum charitatem in cordibus diffusam appellat, intellexerit habitualement; *Baius* tamen hoc praedicatum in opusc. de Char. c. 2. et seqq. attribuit *actui* charitatis; unde et exceptio ejusdem, quod in c. 6. illius attributi mentionem nullam fecerit, refutata fuit, propterea quod in posteriore cap. de eadem charitate, de qua in prioribus loquebatur, sermonem continuerit, et hinc illud praedicatum damnato articulo juste insertum fuerit, tametsi eo loci, unde excerptus erat, aperte additum non reperitur.

Ad Conf. R. D. M. Charitas, effective seu proprie justificans et praestans meritum vitae aeternae absolutum, est habitualis C. Charitas denominative tantum ac improprie justificans et praestans meritum vitae aeternae duntaxat conditionatum N. Posterioris autem generis charitatem a Baio solam admitti, liquet ex universo ejus systemate et propositionibus ejus damnatis.

Non enim aliam quam operum justitiam ab eo statui prop. 42. manifeste loquitur: ab hac justitia separatam esse peccatorum remissionem propp. 31. 32. et 33. clare edocent; neque remissionem illam per justitiam operum, sed a solo Deo per sacramenta tribui propp. 57. et 58. designant; ex quo, cum vita aeterna obtineri non possit nisi sublato reatu et obligatione ad poenam, in quo manere peccatum prop. 56. enuntiat, sequitur profecto, meritum vitae aeternae in sententia *Baii* esse tantummodo conditionatum. Quin nec ipsam charitatem quamcumque a Deo infusam esse veram et proprie dictam gratiam constat ex Baiano circa statum naturae innocentis systemate: ad meritorium autem opus non requiri gratiae donum ex eodem circa statum naturae reparatae systemate liquet.

296. *Obj. III. Quesnellus* pluribus in notis ad N. T. admittit in peccatoribus charitatem inchoatam et imperfectam, et quae praeparet animum ad charitatem inhabitantem; ergo juxta eum non omnis charitas est habitualis. *Conf.* Idem in libello post damnationem edito protestatur, minime a se requisitam charitatem *justificantem*, sibi in hoc dogmate afficto injuriam factam queritur; ergo.

R. 1^o. N. Cons. Nec enim, quod aliis haereticis solemne fuit, alienum est a *Quesnello*, quod sibi contradixerit: nec nobis incumbit, antilogias ejusdem benigniore quadam interpretatione conciliare; cum id beneficium Catholicis duntaxat auctoribus debeat.

R. 2^o. D. Cons. Juxta eum non omnis charitas determinate est habitualis C. indefinitate ac disjunctive, scilicet vel habitualis vel dominans et plene justificans N.

Ad Conf. R. N. Cons. Falsitas et impudentia protestationis hujus sufficienter demonstratur ex dictis. Qui plura exigit, adeat P. Fontaine, subjuncta ad propp. 59 appendice, querimonias illas accurate exculientem.

297. *Obj. cont. 2^{um}. SS.* Patres non agnoscunt *medium* inter charitatem theologiam et cupiditatem; ergo ne actio humana sit peccaminosa, debet ex charitate theologica sive imperfecta prodire. *Prob. S. AUG. L. 14. de Civ. c. 28.* scribit: *Fecerunt civitates duas amores duo; terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei; caelestem vero amor Dei usque ad contemptum sui*; S. PROSPER. L. sentent. num. 221. (al. 222.) primam civitatem nomine *Babylonis*, alteram *Hierosolymae* nomine insignit.

R. N. A. Testimonia subjecta nec accipiuntur de amore benovolito, nec excludunt *medium* supernaturale, multo minus naturale inter charitatem et cupiditatem. *Ad 1^{um}. R.* Utrumque S. Doctorem loqui non de *actionibus*, sed de statu animorum, quorum alter sit gratiae seu justitiae et salutis, alter peccati et damnationis; quod patet, tum quia *civitatis* nomen non apte rem fluxam et transeuntem, qualis est quaelibet singularis actio, sed stabilem durantemque, ut per se intelligitur status gratiae vel peccati, significat: tum quia alias non tantum actus supernaturales fidei, spei, timoris etc., contra alibi asserta horum Patrum, pertinerent ad *Babylonem*; sed etiam peccatum veniale, quod non est amor sui usque ad contemptum Dei, vel ad nullam civitatem, vel ad caelestem ac Hierosolymam foret referendum. Itaque ad statum quidem gratiae vel peccati universum hominum

genus revocatur; quin tamen illa discretio eorumdem in alterutram civitatem vel statum obstet, quominus tam *Babylonii* quam *Hierosolymite* ex neutro amore, quo in sua civitate sunt translati, scaturientes volitiones eliciant, et actiones exercent.

Inst. 1. AUG. L. de Gr. Chr. c. 20. ait: Aliud est charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum; tantumque inter se differunt, quantum virtus et vitium. S. LEO. serm. 90. (al. 88.) de jejuniis septimi mensis 3. c. 3. Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diversæ qualitibus, sicut dividuntur Auctoribus. Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia; in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia etc. Consentit S. FULGENT. L. 1. ad Mon. c. 18.

R. Charitatem ab Aug. hic non sumi *strictè* ac *proprie*, sed *late* ac *minus proprie* pro quacumque voluntate bona, ostendunt finis cap. 18. et initium c. 19. *Si duce arbores, bona et mala, duo sunt homines, bonus et malus, quid est bonus homo, nisi voluntatis bonæ, h. e. arbor radicis bonæ? et quid est homo malus, nisi voluntatis malæ, h. e. arbor radicis malæ? fructus autem harum radicum atque arborum, facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, et mala de mala. Facit autem homo arborem bonam; quando Dei accipit gratiam etc. Idem responsum etiam applicat Gallie Episcopi, in doc. pastoralis Card. de Rohan, textui S. LEONIS, cum hic serm. 43. (al. 44.) de Quadrag. 7. c. 3. opus moraliter honestum, et serm. 48. (al. 47.) de Quadrag. 10. c. 3. etiam supernaturalem actum sine charitate admittat. Præterea vero in allato textu amor Dei ac mundi potest rite intelligi *habitualis*, quorum ille justis, hic peccatoribus proprius est, et facit habitualiter quiescere in æternis aut terrenis tanquam sine ultimo; voluntas autem accipi, non pro *actu*, sed *potentia*: in qua explicatione nullum quidem inter utrumque amorem, sicut nec inter statum justitiæ aut peccati, admittitur *medium*; non tamen omnis actio ex habituali amore Dei vel mundi procedere debet, sicut nec justis actio omnis bona est, nec peccatoris mala. Atque hæc ultima explicatio maxime convenit textui S. FULGENTII.*

Inst. 2. S. AUG. L. 9. de Trin. c. 7. et 8. inquit: Nemo volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit. Quod verbum amore concipitur sive creaturæ sive Creatoris.... ergo aut cupiditate, aut charitate, non quod non sit amanda creatura; sed si ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed charitas erit: tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura; tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem. Simile quid S. GREG. L. 18. Mor. c. 8. (al. c. 9. n. 16.) enūtiat:

R. Charitatem rursus improprie ab Aug. hic sumi, patet ex amore creatoris tanquam termino cum eadem æquipollente ibidem usurpato: nec omnem amorem creaturæ propter se culpam, sed tantum eum, qui corrumpit fruentem, ex ipsis verbis liquet. Quidnam vero proprie sit frui, docet S. AUG. L. 1. de Doct. Chr. c. 33. n. 27. *Cum adest quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat: per quam si transieris, eamque ad illud ubi permanendum est, retuleris; uteris ea, et abusive, non proprie diceris frui; si vero inhæseris atque permanseris finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc vere et proprie frui dicendus es. S. GREG. si sumatur de actuali delectatione,*

intelligendus est de eo, quod passim ac plerumque, non autem absolute semper contingit: si autem, quod contextui sequenti conformius est, loquatur de *habituali* delectatione duplici, pro duplici etiam justorum et peccatorum classe, ex sup. dictis constat inde actionem humanam mediam non excludi. Cæterum ab eodem S. Patre non condemnari omnes actus, qui ex amore benevolo non procedunt, ex ejus Comment. in L. 1. Reg. c. 12. v. 13.-20. (al. in 1. Reg. L. 5. c. 2. n. 7. c. 10. n. 11. 12.), L. 5. Mor. c. 13. (al. 16. n. 33.) et hom. 27. in Evang. n. 1. liquet.

Inst. 3. Concilium ARAUS. II. Can. 17. (Labb. t. 4. p. 1670. A.) statuit: Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas; fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris etc; ergo.

R. Testimonium hoc esse plane impertinens; tum quia ex particulari virtute non valet argumentum ad omnes: tum quia Concilium definitionem hanc ex AUG. L. 1. Op. imperf. mutuatum est, ubi refutatur Julianus fortitudinem patientiæ tam in Christianis quam gentilibus virtuti naturæ tribuens; cum tamen fortitudo Christianorum, nempe *Martyrum*, ex charitate Dei excellentissima proficiscatur, gentilium vero fortitudo in adversis plerumque ex vanæ gloriæ cupiditate ortum duxerit, quamvis id de aliis virtutibus populari auræ minus expositis non adeo universim evenisse dicendum sit.

ARTICULUS II.

AN OMNIS ACTUS HUMANUS, NE SIT MALUS, DEBEAT SALTEM ESSE
A CHARITATE IMPERATUS?

298. *Nota 1.* Supponimus hic 1^o. dari præceptum divinum charitatis erga Deum, quod Christus Matth. 22. 38. tanquam *maximum et primum mandatum* commendat. 2^o. Præceptum hoc, prout *negativum* est, ac præter odium omnem Dei offensam prohibet, obligare semper: prout *affirmativum* autem est, et actum amoris erga Deum præcipit, non quidem pro semper, sed tamen plus vice simpliciter per se obligare; ut ex propositione inter duas 1. ab ALEX. VIII., et ex propp. 5. 6. et 7. ab INNOC. XI. damnatis constat; ex quibus et aliis principiis Moraliste tempora quædam determinata pro actu amoris eliciendo, partim certo, partim probabiliter definiunt, quos vide. 3^o. Præceptum charitatis *affirmativum* obligare etiam hominem, ut seipsum omnesque vitæ suæ actiones referat ad Deum; quia juxta D. THOM. 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. *Dicendum, quod sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum; et ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* 4^o. Relationis hujus species quatuor assignari. Earum *prima* dicitur *formalis*, consistens in actu voluntatis tam expresso et sensibili, ut homo ipse percipiat seu reflexe cognoscat se referre sua opera ad Deum: *secunda habitualis*, quæ stat in relatione formali præterita et non revocata, ideoque moraliter saltem negative perseverante, eo quod nihil illi contrarium fiat: *tertia* est *virtualis ex parte operantis*, quæ rursus supponit relationem formalem; consistit autem vel in actibus hujus relationis tenuibus ac remissis, vel in quopiam actu alio inde relicto opera relationem formalem